Theologia dogmatica.
Turnovii Joh: De aeterna
Dei praedestinatione.
Francof. mich. Koch. 1627

JOHAN. TURNOVI de AETERNA DEI PRÆDESTINATIONE.

P. P.

Assertio & Confessio.

Francofurti
Literis MICHAELIS KOCHII exscripta.
Anno M. DC. XXVI.

QUOD

Omnium Controversiarum

In Extremum usque Diem
Supremus JUDEX

SANCTISS. DN. N. JESUS

Felicitet

ECCLESIA CATHOLICA

Sacrarum SCRIPTURARUM Veritatis
Columna, Testis, Index

Approbet

Hanc Simplicem, Planam,
Et Quantum Id Fieri Potuit Plenam;
Hortamento & Auctoritate

AUGUSTISSIMÆ

REGINÆ SVECIÆ

INFANTIS,

Ex. XXX. amplius annorum,
Pub. Profess.

De

ÆTERNA DEI PRÆDESTINATIONE

Recens Repetitam Sententiam;

JLLUSTRIBUS
&
ORTHODOXIS
SERENISS. ELECTORIS BRANDEBURGICI
FRANCOFURTENSIS
&
REGIOMONTANAE
ACADEMIIS,

In
Honoris, Observantiæ & Amoris Testimonium

Cum
Omnium PROSPERITATUM
SECULI & ÆTERNITATIS
PIO VOTO
Ioannes Turnovius
Dat,
Dicat,
Consecrat.

Æternum Evangelium
Professo
Pacifico LECTORI
Salutem à SALUTE.

Simplicem de æterna DEI *prædestinatione sententiam, quam citra partium studium & cujuspiam præjudicium, quantum id quidem fieri potuit ita planè & plenè, ut non curioso sufficiat, exponere conatus sum; LECTOR pacifice, dextrâ manu, candidoq; pectore accipe, eodemq; Tua, vice versa, si præsertim planiora plenioraue in hanc rem habes exhibe, mecumq; communica, quò piè negotiosi in pace & veritate, talento nobis tradito ad* CREDITORIS *Opt. Max. laudem nostram, confratrumq; nostrorum salutem proficientes sancto utrinq; lucro & fœnore augeamur.*

Optarem equidem, omnes, quibus JESUS CHRISTUS heri & hodie idem, eodem semine immortali verbo Domini manente in æternum, uno Baptismate, una Eucharistia integra administrata, uno & eodem Spiritu S. eò ejusdem hæreditatis possessionem

sessionem, externè internè oblatus, fide efficacissimè perceptus est; Optarem, inquam, secundum, tertiumq; repeto, optarem animitùs, omnes qui invocant nomen Domini nostri JESU CHRISTI, unico huic Prophetarum & Apostolorum fundamento, merum aurum, argentum purum lapidesq; preciosos superstruere.

Sed quid faciamus? si qui nostrum cum naturæ infirmitate, donorum imbecillitate, judicii tenuitate, mala institutione, antecessorum, vel coætaneorū malè feriatorum auctoritate, incensione, temporum ignorantiæ duratione, tritave consuetudine, zelo minus scientia temperato, affectu, defectu, erroreve quopiam alio circumventi, pretiosum à vili tam exactè secernere nequeant? si fundamento solido, citra quidem ipsius periculum, at non sine proprii operis jactura, ligna, fœnum, stipulas, superinducant: hallucinentur & impingant: alii aliis gravius, à Domino cui cadunt, tum cum illi visum fuerit erigendi, utiq; & ipsi servandi, ita tamen sicut per ignem, sive is tentationum; vel in ipso ultimo agone sit, sive S. Spiritus singularis aliqua antecedens alia depurgatio.

Cœteroquin, quid fieret cum tot myriadum myriadibus hominum, qui in gremio Ecclesiæ nati & Christo initiati, dextram suam à sinistra dignoscere

non

non norunt? Quid fieret cum illis, qui controversiarum nostrarum imperiti simplices ut columbæ, tamen se per Domini JEsu Christi gratiam servari certò credunt, & ne infructuosi sint, temperantiæ, justitiæ & pietati in præsenti seculo dant operam, expectantes speratam beatitudinem adventumq; gloriæ magni illius DEI ac Servatoris sui & nostri JEsu Christi. Surguntq; indocti & rapiunt cœlos, multos suis cum scientiis in carnis & sangvinis volutabro relinquentes.

Expertus sum, scribit, graviter Saxoniæ illud lumen clarissimum Præfatione in tria Symbola: quæ extat in Jenensi Germanico Tomo 6. p. 575. b. typis descripto An. 1557. Expertus sum & observavi, in omnibus, totius Christianitatis actis, omnes illos, qui Principalem Articulum de JESU CHRISTO rectè habuerunt & retinuerunt, probè & tutò in vera Christiana fide perstitisse, & licet aliâs circa quædam alia, vel errarint vel peccarint, finaliter tamen servatos esse. Nam qui hîc rectè & firmiter consistit; Quod JESUS CHRISTUS verus DEUS & Homo est pro nobis mortuus & resuscitatus: huic accedunt reliqui omnes Articuli & firmiter ei assistunt. Hoc usq; adeò certum est, quod D. Apostolus adstruit; CHRISTUM esse principale bonum fundamentum, fundum, & totam summam, ad quem

ad quem aggregantur & in quo inveniuntur omnia, & in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi: Col. 2, 3. sicut & ipse dixit: qui manet in me & in quo ego, hic fert fructum multum. Joan. 15, 5. &c. &c.

Idem laudatiss. Pater pro suo candore, non tantum inter didactica & Polemica scripta distingvit: sed & in Polemicis se humanum aliquid passum, contentionisq; æstu quandoq; abreptum fuisse non diffitetur: Tom. 1. p. 367. an. 1555. Jenæ editi. Profectò, si ob errores, circa fundamentum commissos damnandi essent singuli, vix, ac ne vix quidem aliquis ex antiquitate indemnis superesset, nisi fortè mala fide ipsorum scripta ad nos sint delata. In multis certè labimur omnes pronunciante D. Jacobo cap. 3, 2. Et, quotusquisq; est, qui suis nævis careat, qui in se descendat, qui se potius quàm alium examinet? Amicorum vitia agnoscenda, non ipsos odio habendos esse Ethnici concordiæ caussa svadebant. At religio conservos cædere apertè vetat: infirmos in fide suscipere, præoccupatos in aliquo delicto, in spiritu lenitatis imperat instaurare; ad nosmetipsos attendentes, ne & nos tentemur. Si ignem spirante vultu, quemlibet intueri, in ejusdem matris filios insurgere, litem ex lite serere, & ob quamcunq; discrepantiam, si ob verborum quodvis dissidium,

aut

aut offensam levem, etiam proximum quenque, vel absentem, vel etiam vitâ piè functum de Ecclesia quoq; DEI benè meritum, anathemate ferire aliquid proficeret: Satis superq;, integro propemodum centenario; satis proh Jesu! decertatum; satis vivis & mortuis insultatum: satis miseris miseriæ cumulatum; satis dimicatum hactenus declamatumque est, ut rursus Lutherus in responsoria ad Helvetios Epistola Tom. 6. p. 542. dissidia, teste DEO super animam invocato, exosus contestatur.

Quin igitur & nos Pacifice LECTOR, Turbonibus, quorum intra & extra Ecclesiam plena omnia, meliorem mentem precati, si incurabiles sint, divino judicio, quod nō emanebit, relictis, ex ensibus vomeres, è spiculis falces cudimus: quin sepositis armis, omniq; animorum acerbitate, in pace de veritate, cum pacem poscentibus transigamus: quin veritatem in pace, cum illis qui id à nobis, salute periculoque communi exigente, jure postulant, excolimus.

Sic nos sanctissimus DEI & Hominum pacificator Immanuel adjutet. Sic nostros Ucalegontas, quorum proximus paries ardet, quorum culta novalia impius miles habet, sacraria, calamitosum nefas, prophanat, Augustiss. Princeps Pacis Jesus propitio vultu recreatos, armipotente dextra avitis sedibus,

pristinisq́; fortunis restituat. Sic Ecclesiam Catholicam filiorum pacis, innumero numero augeat.

Sic servis suis propitius factus Dominus vitiis, peccatis & delictis nostris condonatis, pro recens ineuntis anni xeniis; post nubila Phœbum, post bella, seditiones, fames & pestes; pacem, bonam aëris temperiem, rerumq́; abundantiam prosperitatesq́; omnes alias nobis largiatur, sua nos clementia satiet, nostros nobis fratres fidos, inimicos pacatos reddat, ac tandem universos & singulos in supernam Hierusalem placidissimè transferat. Amen.

VOVEBAM TORUNI.

I. Præd-

1. PRædestinationem Latini à prædestinando, Græci προορισμὸν, ἀπὸ τοῦ προορίζειν deducunt.
2. Significat verò Prædestinatio *Primò*, rei alicujus sive dandæ sive faciendæ sive permittendæ præconceptam animo determinationẽ: Act. 4. v. 28. 1. Cor. 2, 7. *Deinde* rei alicujus ab alijs segregatæ ad certos usus seu fines per convenientia media destinationem, Rom. 8, 29. 30.
3. Unde προορισμὸς prædestinatio seu præfinitio, finem & media complectitur.
4. Augustino, Fulgentio, Prospero, Isidoro, Vetustioribus cæteris Orthodoxis non repugnantibus ad gratiam & iram ad vitam & interitum, ad electionem & reprobationem ex æquo extenditur Aug: Ench: c: 100. in Joan: tr: 45. de C. D. l. 15. c. 1. Fulgẽtii ad Monim. l 1. c. 23. 24. 26. Isiod. l. 2. c. 6. Concil. Valentini anno 855 celebrati c. 3.
5. Hos qui ex recentioribus sequuntur id probare nituntur. *Primò* Testimoniis, Mal. 1. 2. Rom 9. 11. 13. 18. 22. 23. Matt. 25. 41. Act. 1. 25. c. 4. 22. 28. 1. Thess. 5. 9. 1. Petr. 2. 8. Judæ; v. 4. Prov. 16. 4. *Deinde* relativorum natura: eò quod unius electio, alterius sit communi sub genere relictio seu reprobatio: tum duplici hominum in hac Matth. 7. 13. 14 & post hanc vitam salutis & exitii statu, Matt. 25. 34. 41. 46. ex æterna DEI prædestinatione promanãte.

 6. Solent

6. Solent denique excipere, damnationem etiam reproborum ritè finem dici; esseque bonum morale, qua justitiæ potentiæque divinæ est declaratio, & eum qui Christi mortem, generisque humani redemtionem, ut finem prædestinavit, non absurdè dici Herodem quoque & Pilatum, ut instrumenta sive media inferendæ mortis præfinivisse.

7. Nobis tamen & veritatis, & pacis simul apprimè studiosorum illorum magis probatur sententia, qui prædestinationem, vel pro electionis parte sive gradu, vel pro ipsa ad vitam æternam Electione usurpant, & quibus Synonyma ferè censentur esse, προορισμὸς, ἐκλογὴ, ἐκλογὴ χάριτος, πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν, ordinatio ad vitam, in librum vitæ inscriptio, cōstitutio ad salutem imò πρόγνωσις, præcognitio sive prænotio &c. ut & Electi, oves Christi, triticum, sancta Hierusalem, aliisque nominibus insigniuntur,

8. Ipsa tamen electionis vox, non uno eodemque modo sacro in canone sumitur. Nam communissimè, quodvis carum, pretiosum, DEO & hominibus probatum, acceptumve, *Electum* audit, licet etiam inanimatum, vel quidvis aliud, triste illud, turpeve quid sit. Sic electum jejunium, Isai. 58.6. regio. Gen. 13.11. & locus à Domino electus.

Deut.

Deut. 12. 18. Cedri Jerem. 22. 7. femur, armus, Ezech. 24. 4. sepultura electa. Gen. 23. 6. apud Jobum denique anima elegisse suspendium dicitur c. 7. 15.

9. Secundò usurpatur Electio pro rationalium segregatione & aliorum præ aliis aliqua, quæ fit ab hominibus, dignatione; sic Moses elegisse viros fortes dicitur, quos super Israel constitueret, Exod. 18, 25. Ita & Principes Pharaonis electi appellantur Exod. 14, 7. c. 15, 4.

10. Nobis de illa segr-gatione & electione res est, quæ fit authore DEO, creaturasque rationales concernit: sed hæc rursus aut angelorum 1. Tim. 5, 21. est; aut hominum.

11. Angelorum præterita nunc, quia singularis ipsa est; hominum iterum pro finium diversitate diversa est: licet quandoq; concurrant; alia enim ad ministerium Ecclesiasticum electio est. Luc. 6, 13. Joh. 6, 7. alià ad gubernationē politicam. 1. Sam. 10. 24. alia ad fœderis participationem. Deut. 4. 27. c 7. 8. alia denique ad salutem finaliter consequendam. Eph. 1, 4. 2. Thess. 2, 16.

12. Hîc porrò rursus ἐκλογὴ, vel ipsos electos ad salutem significat, ut Rom. 11. vel Electionis æternæ Consilium, sive præparationem ad gratiam & gloriam notat. Denique pertinet ad homines

jam natos & à peccatorum consortio, in tempore, ipso actu segregatos.

13. Antepenultima significatio hujus loci est propria; ubi tamen insuper adhuc tenendum, cum electos in Christo, tum Christum ipsum electum nuncupari.

14. Ac Christus quidem disertè electus & præcognitus dicitur Matt. 12, 8. Isai: 42, 1. 1. Pet. 1. 20. Paulus verò Apostolus eundem archetypon esse, ad quem præcognitos, prædestinatos & electos conformari oporteat, non obscurè innuit. Rom. 8. 17. 29.

15. August: denique de Prædest. Sanct. lib. 1. c. 15. ita scribit: *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis ac gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator DEI & hominum Homo CHRISTUS Jesus, qui hoc ut esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso; Ille homo, ut à Verbo Patri coæterno, in unitatem personæ assumtus filius DEI unigenitus esset. Unde hoc meruit? quod ejus bonum? qualeq́ præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

16. Ex his planum, Christum, quâ homo futurus erat, propriè etiam Electum & præcognitum di-

ci,

ci, ejusque in plenitudine temporis conceptionem, nativitatem, & quicquid ab illa, in diebus carnis suæ noster Messias gessit, & reliqua præcognitionis, sive consilii & prædestinationis divinæ æternæ, effecta esse.

17. Magnum tamen inter Electionem CHRISTI & eorum qui in Christo electi, est discrimen, sive suppositi rationem, sive finem & officium, sive media electionis illius & horum spectes.

18. Nam licet CHRISTUS non quâ DEUS, sed quâ homo, (vel, si officium spectes, quâ Mediator) proprie prædestinatus & electus sit: est tamen IMMANUEL, θεάνθρωπος, Gigas geminæ substantiæ, DEUS sanctissimus, omnia sanctificans, benedictus in secula, & Homo in plenitudine temporis, natus sine ulla labe ab utero sanctificatus & sanctissimus, cæteri electi, meri homines, ex prædamnata in Adamo massa in peccato nati, naturâ filii iræ, sanctificandi benedicendique in hoc benedicto semine. Christus est qui fecit nos; nos autem sumus opus ipsius: non solùm quia homines: sed etiam quia justi: ut Aug. de verb. Apost. serm. 15. scriptum reliquit.

19. Cum tamen, humana Christi natura, secundùm quam ei prædestinatio ratione tum *essentiæ*, tum *officii*, ad quod exequendum unà cum divinita-

te con-

ic concurrit, competit, per se ὑφιστάμενον non sit; sed in divina ὑποστάσει subsistat: ea de caussa toti personæ, quæ Filius DEI est, prædestinatio à gentium Apostolo tribuitur. Rom. 1, 4.

20. Finis & munus ad quod Christus prædestinatus & electus est, Prophetam, Sacerdotem & Regem supremum sine successore ullo agere: Psal. 2. & 100. Deut. 18. 15. 18. Heb. 7. 24. atque ita caput totius Ecclesiæ Eph. 4. 16. principem & principium Electorum omnium, imò primogenitum universæ creaturæ. Col. 1. 15. & seqq. esse, ab initio mundi mactari. Apoc. 13. 8. heri, hodie, in secula, sive perpetuò existere. Heb. 13. 8 præstantiorem Angelis fieri Heb. 1, 4. ad dextram DEI Patris in cœlis, longè supra omne Imperium ac potestatem & potẽtiam & Dominationem locari. Eph. 1. 20. 21. Phil. 2. 9. in medio inimicorum dominari. Psal. 110. 1. Cor. 15. ab Angelis, imò ab omni cœlestium, terrestrium & subterraneorum flexo genu religiosè adorari, Heb. 1, 6. Phil. 2, 10.

21. Cæterorum verò à Christo per eum & in eo ab æterno Electorum, muneris atque officii est, ab hoc principio & principe, unicè dependere: ab hoc Propheta & Doctore revelationem Evangelii æternis temporibus taciti mutuari; hujus sacrificio Sacerdotis, perfectè ab omni peccato emundari

emundari, justificari, sanctificari, huic cœli, terræ, universæque creaturæ Catholico Regi parere: illum religiosè adorare, ejus sub signis in terris, suæ quemque in statione strenuè & acriter militare, ejusdemq; victoris, triumphatoris omnipotentissimi viribus, diabolum, mundum, carnem, & utramque mortem vincere, in hujus Mediatoris nomine, hostias Deo gratas offerre, tandemque cum eodem in super cœlestibus locari & æterna gloriâ coronari.

22. Progressus & media Electione Messiæ determinata sunt, nostræ Electionis prima post Deum principia: per Spiritum S. virtute Altissimi conceptio, humanæ naturæ à λόγῳ assumtio, ex virgine nativitas, nominis Jesu singulariter impositi acquisitio, usurpatio, spiritus citra mensuram collatio, possessio, tentationū, infirmitatum omnium, citra tamen peccati maculam propessio, operum θεανδρικῶν administratio, plenissima Evangelii annunciatio, passio, mors, λύτρε persolutio, ad inferos descensio, tertia die resurrectio, supra omnes cœlos ascensio, ad dextram Patris sessio, inde ad vivorum mortuorumq; judicium reditus, regniq; tandem Deo & Patri traditio, ut sit Deus omnia in omnibus & quicquid eius generis Scriptura S. prodit, æternitasq; propalabit.

23. Ex his porrò mediis, tanquam principalibus fontibus, manant gradus & media nostræ Electioni præparata, nempe Spiritus S. super Ecclesiam effusio, Ministerii institutio, ad unitatem fidei omnium gentium vocatio, externa internaq;, & ad hanc consequens justificatio cæteraq; de quibus infra.

24. Atq; ita, Christi quidem Electio est æternum propositum, quo Deus constituit λόγον humanam naturam assumere, nasci, agere, pati, Angelorum & hominum caput fieri, inter Deum & homines mediatorem esse, æternam redemtionem credentibus acquirere, sibi omnia subjicere, ad suam gloriam & electorum salutem.

25. Hominum verò Electio est æternum propositum Dei de universis & singulis, mero Dei beneplacito sive dilectione perpetua, ex universa peccati in Adamo justè prædamnata massa, in Christo Jesu præcognitis, evocandis, justificandis, & glorificandis ad Dei & θεανθρώπȣ gloriam & perenne omnium Electorum bonum.

26. Efficiens hic jam prædestinationis est Deus Pater, *Eph. 1, 4.* Deus Filius; *Joh. 13, 8. c: 15. 16. 19.* Deus Spiritus S. argumento locorum, *Joh. 3, 5. 1. Cor. 12, 3. Eph. 4, 4.*

27. Προηγȣμένη, εὐδοκία gratia, dives gratia, merusque

favor,

favor, & dilectio inenarrabilis, liberrimæque voluntatis, consiliiq; divini, *Eph.1,5.6.9.11.*

28. Atque hîc inter generalem dilectionem illam quâ Deus omnia quæ creavit, totumque genus humanum suam ad imaginem creatum diligit, & inter illam quâ suos, sive Electos in Christo Jesu, in illiusq; sanguine justificatos, singulariter ab æterno in æternum complectitur, Apostolum secuti *1. Tim.4,10. Psal.104,31. Rom.5,8.9.* distinguimus.

29. Ita verò Deus in sese secundùm benevolentiam quàm proposuerat *Eph.1,5.9.* nos prædestinasse perhibetur, ut tamen prædestinationis sive Electionis Subjectũ in quo, Christus sit θεάνθρωπος. Dicimur enim benedicti, electi in Christo, in ipso, in dilecto, per sanguinem ipsius gratia *Eph.1.v.1.3.4.5.6.7.10.11.*

30. Utrumq; hoc, soli tantum Deo omnem Electionis rationem vendicat, ne ulla ejus caussa propriè ita dicta extra Deum in ipsis Electis fingatur: prius tamen posterioris caussâ & posterius primæ quasi συναίτιον sive concaussa primumque medium eligendis æternâ divinâ dilectione destinatum. Hinc utrumq; & εὐδοκία τοῦ θελήματος & Jesus Christus fundamẽtum electionis dici potest, sed prius antecedenter, posterius consequenter.

 31. Ita

31. Ita siquidem in se Deus θεάνθρωπον hominibus Electis sua προγνώσει favore & Electione æviterna erexit præparavitq́;, ut nobis prorsus nefas sit Electionem nostram æternam extra Christum quærere.

32. Materia prædestinationis soli illi sunt; qui ex primo Adamo naturaliter propagati & in illo damnati denatiq́;, in secundo verò Adamo electionis divinæ beneficio renovandi & illi fide perseverante inserendi sunt.

33. Duæ hujus unius materiæ affectiones perpetuò hîc ob oculos esse debent; ut & nobis primigenia nostra corruptio miseriaq́;, & divina misericordia, dignatioq́; manifestè sit ad nostram confusionem Deiq́; gloriam perspecta.

34. Prima affectione (quæ nonnullis προκαταρκτικὴ Electionis non abs re dicitur) pares sumus reliquis, quotquot Adamo nati & qui nascentur ab illis. Sumus enim hîc ex æquo omnes massa illa, quæ per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxit, ut Aug: *Epist.106.* loquitur, velut Apostolus: omnes sub peccato conclusi: *Rom.11,32. Gal.3,22.* mortui in delictis & peccatis nostris, naturâ filii iræ *Eph: 2,1.3.5.*

35. Et licet alii à communi isto lapsu magis; alii minus

nus duri naturâ exiſtere quibuſdam dici vel videri poſſint: aliiq; miſericordia, quaſi magis fortaſſe digni præ aliis cenſeantur. Nemo tamen non mortuus, nec tam mollis aliquis, ut ſeipſum porrò emollire, vel in vitam aſſerere, aut, aliquam quæ vera ſolida & perfecta virtus ſit Deoque placens, edere potuerit; ſi vel omnes naturæ reliquas vires in id intendiſſent.

36. Non ſecus, ac non tantum *Lazarus*; ſed nec vel *adoleſcens*, vel *Jairi filia* à morte ſe in vitam revocare potuerunt, utut Lazarus *quatriduanus* jam & *fœtens* & adoleſcens è porta elatus, at puella primum recensq; mortua fuerit.

37. Atque ita primi divini, ut ita loquamur, intuitus reſpectu; & ratione termini *à quo*, illi ipſi qui eligendi, nihil in ſe exiſtentis habuere, ſeu *dignitatis* naturæ, ſeu *generis* ſeu *operum*, ſeu *bonæ voluntatis*, ſeu *poſsibilitatis*, ſeu *fidei*, ſeu iſtiusmodi aliquid aliud, quod DEUM, ut in ipſis inexiſtens præviſum, ad eligendum permovere potuerit.

38. Quod de cæteris quidem initio ſtatim controverſiæ cum Pelagianis Orthodoxi compertum habuerunt. De *fide* tamen, dubium olim fuit; ut & nũc adhuc quæri ſolet, num illa αἴτιον ſit κινητικὸν movens & impellens cauſſa & inſtrumentum Electionis æternæ inſtituendæ.

 39. Au-

39. Augustinus profectò, acris cæteroquin Hæreticorum confutator, imprimis suis cum Pelagianis conflictibus, ita titubavit, ut SemiPelagianismi purus non esset; asserebat enim DEUM *non elegisse quidem opera cujusq; in præscientia, quæ ipse daturus esset; sed fidem elegisse in præscientia: ut, quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritū S. daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Quinimò apertè dicebat: *Quod credimus nostrum est, quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum S.*

40. Sed hæc & si quæ ejusdem notæ plura in prioribus D. August: reperiantur, dicturus non fuisset, *si tum jam scivisset ipsam fidem inter DEI munera reperiri*; id quod ipsus de se ingenuè profitetur.

41. Postquam igitur ex scripturis, quas tum alibi, tum in lib: de Præd: Sanct: allegat, quales in *Joa: cap:6, 29. c:15, 16. Rom:5,8. 1. Cor 4,7. 1. Cor:7. 25. Eph. 2,8. 2. Thess:3, 8. 1. Joh 4, 10.* & aliis locis, id quod anteà nec scivit, nec quærendum esse putavit, certè agnovisset, priorem illam suam de fide prævisa sive electionis efficiens, sive instrumentalis, sive quocunque alio modo electionis meritoria gratiam antecedens fingatur, senten-

tiam,

tiam, vel *errorem*, ut ipse vocat, *suum* rejecit primus, & publicè coram Ecclesia DEI revocavit, lib. Retract: 1. c. 23.

42. Perpetuoque in posterum laudatissimus hic sacrorum cultor & Antistes, tenuit docuitq; : à Paradysiaca panolethria, nullum in primo Adamo existentium vas misericordiæ dignum, nullum fidelem electione DEI inventum: *sed fidelem electione gratuita factum: quod credimus opus esse DEI*: fidem in filiis iræ, non magis ac vitam in cadavere prævideri potuisse, nisi eam quam ipse primam DEus daturus esset: non quia credituri eramus: sed ut crederemus nos electos esse, ne priores elegisse dicamur, falsumque sit, quod absit, illud Domini: *Non vos me elegistis sed ego vos elegi.*

43. Vide autoris, honoris ergò nominati, Ench: cap: 30. 31. 32. de prædest: Sanct: l. 1. c: 3. & seqq. & de bono perseve: l; 2. c: 16. Perpende & illa ejusdem, eodem in lib: 1. c; 18. fidentiæ plena. Ita enim fatur: *Hoc scio, neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturas S. defendimus nisi errantem disputare posse*: & confer cum M. Lutheri Diatribes conclusione.

44. Fuit materiæ affectio prima ipsi naturæ inhærens quæ & *materia communis*, & materia ex qua eligen-

eligendi, & materia prima dici possent; sequitur *materia* Electionis *secunda* appropriata, ut dici solet, *& terminus ad quem* Præcogniti sive credituri, inq; fide perseveraturi.

45. Fides enim hæc prævisa, non est in objecto eligibili, ut inexistens natura, innataq;, sed προγνώσει demum, gratia dilectioneque æterna illata, impressa: nempe quam gratia superveniens indidit, non verò DEUS æternâ suâ scientiâ inhærentem inhæsuramve prævidit. *Ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum, ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Jesu, qui fecit hominem Principem fidei & perfectorem Jesum*, ut rursus habet Aug: de præd. Sanct. l. 1. c. 15. legantur & seqq. cap.

46. Præcognitio siquidē gentiū Apostolo πρόγνωσις Rom. 8. non est quævis sive generalis præscientia, sed specialis & singularis sive gratuitus favor, amor, dilectio, & cura DEI, qua suos gratis ab æterno dignatur.

47. Quod & Pererius Jesuita, in cap. 8. Epist. ad Rom. disp. 21. apertè fatetur, cujus verba in thesibus de Consiliis DEI æternis in genere thesi 41. recitavimus.

48. Ut igitur homines eligendi vel in æterna mente

DEI

DEI electi, à primo in Adamo lapsu, gloria Dei & fide destituti, cæterisq; omnibus bonis naturalibus salutaribus orbati, planè in peccatis nati extiterunt; ita à προγνώσει sive favore mero divino accessit, quicquid postea vel fidei, vel boni operis in singulis electis prævideri potuit, vel est prævisum.

49. Formam quasi Electionis facit *ordo*, quem in decretis de fine, deq; mediis singulis mens humana potest concipere: quia secundum executionis diversas partes, diversas etiam decreti quasi partes distinguimus. Hic omnium mediorum ipsiusq; finis complexu constat: ac *primò* quidem προγνώσει, *deinde* προορισμῷ, *tertiò*, vocatione κατὰ πρόθεσιν, *quartò*, justificatione, *ultimò* glorificatione Rom. 8, 29. Atq; ita Electorum in Christo Jesu, & per ipsum cum Deo communione, & æterna indissolubili unione.

50. Licet enim in æternitate nihil prius nihil posterius; sed simul sint omnia: nostri tamen conceptus ratione, & ordinis respectu, quo res sive efficiente DEO, sive permittente eventuræ erant, ut integritas boni, & ad imaginem Dei conditi hominis, ejusdem corruptionem, sic misericordiam ipsam miseria & decretum ipsum miserendi miseriæ prævisio antecessit, prout & segrega-

tio in tempore ante fidem & fidei antecedens vocatio ponitur, *Gal.1,15. Act.9,15.*

51. Electionem enim, vel reprobationem ante decretum creationis ponere, est periculosè ordinem invertere, cum eventus sit certo indicio; *primum* sanxisse DEUM hominem bonum creare, *deinde* labi eundem permittere voluisse: *tertiò*; omnes in uno lapsos in peccatum concludi decrevisse: ac *tandem* æterno beneplacito in Christo Jesu præcognovisse suos, prædestinasse, vocasse.

52. Sicut autem illa quæ πρόγνωσιν sequuntur, ejus, sive gratuitæ *Divinæ* dilectionis, electionisq; effecta sunt, ita unum quodq; sui consequentis & singula glorificationis caussæ sunt, vocatio & prædicatio fidei, & justificationis, justificatio & fides sanctificationis, amoris in *Deum* & in proximum, cæterarumq; inter se & glorificationem intermediarum virtutum.

53. Ipsa verò glorificatio, quæ & consummata salus & vita æterna nuncupatur, Electionis quidem sive προγνώσεως *Divinæ* ut caussæ gratuitæ, intermediarum verò caussarum quæ fusius in scriptuis diduci solent, est commune effectum.

54. Finis prædestinationis summus sequentibus in seculis est, manifestatio divinæ misericordiæ in

Electo-

Electorum ſalute, juſtitiæ in Filii Dei morte, liberalitatis, ſapientiæ & judiciorum in ipſa ex communi ſorte infelici in æternam felicitatem electorum traductione.

55. Finis ſubalternus eſt, ſpirituale & æternum ſummum Electorum bonum, uno verbo Salus.

56. Electionis adjuncta ſunt, æternitas, ſumma libertas, independentia, mediorum ordinatio, immutabilitas, atq; infallibilis certitudo.

57. *Æterna* Electio eſt: quia in Deo omnia æterna, & quia in Chriſto Jeſu electi ſumus, ante jacta mundi fundamenta, dataq; nobis gratia, jam ante ſecularia tempora.

58. *Liberrima* eſt Electio, quia Deus nemini quicquam debet, & à nullo prorſus dependet, & de ſuo quodlibet liberè facit.

59. Ut autem à cauſis ſecundis & ab omni quod extra Deum eſt objecto, ſive objecti affectione, abſoluta & independens eſt divina electio: ita à mediis, æterno ſapientiſſimo Dei inſtituto determinatur, inter quæ *fides* meritum Chriſti apprehendens eminet.

60. Unde *Perfectiſſima* dici meretur & eſt: nihil enim, quod ad ejus perfectionem requiritur, vel in æterno Dei conſilio defuit, vel in ejus exequutione deeſt, non præcognitio, non prædeſtinatio

arctius hic ſumta, ſive prædefinitio, non vocatio & fides, nec juſtificatio, nec glorificatio, ſive inchoata, quæ alio nomine ſanctificatio, ſive conſummata & cætera, ſuo tamen pulcherrimo ordine poſita & recenſita *Rom. 8, 29.30. Eph.1, 4.5. Phil.1, 29. 2. Theſſ. 2, 13.* & alibi, quæ tamen ſingula, cum concomitatur & perficit, tum antecedit mera divina gratia & miſericordia.

61. Non igitur ſimpliciter præciſè, abſolutè omnis, nec hic vel ille, ſive credat, ſive non credat; ſed is demũ Electus ab æterno cenſeri debet, qui Chriſto fide inſerendus, qui in fide Jeſu & bonorum operum ſtudio conſtanter ad mortem uſque eſt perſeveraturus.

62. Unde rectè quidam contra Huberum aſſeverarunt, Electionem *Univerſalem* eſſe, reſpectu omnium verè & perſeveranter credentium, *particularem* autem reſpectu mundi, quia non totus mundus: ſed pars mundi, illi nempe qui ſunt in Chriſto Jeſu, ſunt Electi ſive præcogniti.

63. *Immutabilis* inſuper, uſq; adeò Electio, ut nullis hominum conatibus partibusq;, nullis diabolorum artibus viribusq;, nullis inferni portarũ motibus illa concuti, infringi, aut vel minimum moveri poſſit, cùm Deus à quo immediatè illa procedit immutabilis ſit; nec ſapientiſſimum omnipotentis præſtitutum effectu fruſtretur ſuo, nec

verbū ejus excidat, donaq; DEI sint ἀμεταμέλητα.

64. Nec scientia æterna DEI fallit, quia ipsi numeratus & numerans, tam probè, tam exactè, electorū definitus est numerus: ut nec minui ille possit, nec etiam augeri, nec nisi suo loco & tempore quisq; Electorum esse, quemadmodū & nos qui in adventu Domini vivi relicti erimus, non præveniemus eos qui obdormiverunt, 2. *Theß.* 4, 15. cum capilli etiam omnes nostri capitis nostro Patri sint connumerati *Matth.* 10.

65. Jam verò Electi, licet suæ sibi fragilitatis à lapsu conscii, & suos sæpè manes, vehementissimosq; tentationum paroxismos perpessi, se sibi relictos singulis momentis facilè à mundi & Satanæ illecebris, viq; opprimi, & gratia posse excidere norint, & ratione naturalis suæ miseræ conditionis, judicio humano, electorū numerū minui quasi, reproborū verò augeri posse, exemplo Pauli Apostoli 1 *Cor.* 9, 27. sibi ob oculos ponūt, quotidieq; cū timore & tremore salutē operantes, neve à spe Evangelii dimoveātur procurātes, illud Orationis Dominicæ *ne nos in tentationem inducito*, repetant.

66. Ad *immutabilitatem* tamen Electionis Divinæ & fidem fidelis DEI, conversi, ἀδύνατον esse certò sciunt, oves Christi Patrisve ejus manibus eripi, electos totaliter seduci, & quempiam illorum finaliter perire posse.

 67. Quin-

67. Quinimò se quoq; in Electorum Catalogum insertos, libroq; vitæ inscriptos esse legitimè colligunt & certò cognoscunt. Primò, ex Generalibus Evangelii axiomatibus, misericordiæ Patris magnitudinem, passionis & meritorum Jesu amplitudinem, S. Spiritus donorum copiam prædicantibus.

68. Quæ in se spectata, tot talia & tanta sunt, ut si vel de lapidibus Abrahæ filii succrescerent, vel mille mundi existerent, ipsis sufficere possent, nedum ut omnibus in primo Adamo mortuis, damnationiq; mancipatis, ad eliberationem, inq; hæredum vitæ æternæ libertatem, asserendam, si tamen verè credant, tria illa ad salutis certitudinem declarandam sufficiant

69. Alterum Electionis argumentum nobis sacramenta & regni cœlorum claves suppeditant, quæ his legitimè utētibus, viva fide præditis nomine Jesu certissimè ad salutem obsignant: tantumq; valent, ac si nostrum singulos cœlitus ipse alloquatur Deus, Tu N. N. qui baptizaris, qui absolveris, qui Eucharistia legitimè uteris, es meus, in librum vitæ te inscriptum esse, electum esse, hæredem cœli institutum esse, hoc sacramento publicè coràm omnibus Electis Angelis & Hominibus testor, & per nomen meũ juro ego Pater

Filius

Filius, & Spiritus S. idq; in omni æternitate ratum esse volo; dicat universa creatura & omnia secula seculorum Amen.

70. Interea quoq; Spiritus S. mysteriorum Dei scrutator, spirituiq; nostro, eorum quæ in electionis rem faciũt, renunciator, tam fidem cordibus certissimũ electionis τεκμήριον ingenerat: imprimit, auget, confirmat, obsignatq;, tum apertè nos esse filios DEI testatur, & ad tribunal DEI in extrema die testabitur.

71. Spiritu S. tanquam arrhabone obsignati Electi, novos in se motus sentiunt, & se jam Electos esse in veritate ita compertum habent, ut cœli terræq; Dominum libera voce, *Abba Pater*, inclamare audeant, & fide per charitatem operante, qui sint, publica oris confessione contestentur.

72. Atq; ita jam adornati & Spiritu S. armati, in aciẽ producuntur Electi, quo Satanæ resistant, mundi vanitatem contemnant, carnẽ edoment, Deũ variè exercentem suos masculè sustineant, infirmiores in fide tolerent, lapsi ad se redeant, assurgant, se potius, quàm alium quempiam spernãt, dijudicent, examinent, probent, omnia omnib. salva tamen veritate esse velint, bonam cõscientiam tueantur, & per decus dedecusq; ad coronam gloriæ strenuè & constanter pergant.

73. Sub-

73. Subindeq́; non carnali ſed ſpiritus ſecuritate læti exclament: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Scio cui credidi! Certus ſum, quod neq; mors, &c. neq; creatura ulla alia nos ſeparare poterit à Charitate DEI, quæ eſt in Jeſu Chriſto Domino noſtro.*

74. Ad hanc verò Electionis ſalutisq́; obtinendam certitudinem, nec in cœlum aſcenſu, nec ad inferos deſcenſu, nec per maria curſu, nec humanæ rationis diſcurſu, neve, ulla alia revelatione opus eſt, niſi ea, quàm è ſinu Patris unigenitus Filius nobis firmiſſimè & reſpectu præſentis vitæ perfectiſſimè in S. Bibliis propalavit.

75. Quod ſi Cherubim & Seraphim ad Majeſtatis cõtuitum pedes binos, totidemq́; oculos velant, alis duab. verò ſubvecti ſuum illud *Sanctus, Sanctus, Sanctus* intonant; quantò minus terræ vermiculi præter illa nobis revelata, alia quæ ſoli ſibi ſecreta Rex Regum eſſe vult, ſcrutabuntur: ſed magno illi, manifeſtato in carne DEO, fixi infixique ſuæ illi Electionis principium, incrementum, complementumq́;, nunc & æternùm *in circuitu throni & animalium, & viginti quatuor ſeniorum, coràm millies centies mille, & decies centies mille Angelis tribuent.* Apoc. 5, 9.

76. Ut

76. Ut autem Consilia, æterna Dei de hominum in primigenia gratia, creatione, gratiosoq; ante lapsum regimine, Angelorumq; electio, consilio electionis hominum, suo modo cognata dici possunt: sic Derelictio, quam *Reprobationem* vocare solemus, Electionis est oppositum.

77. Nam & Scriptura *Eligere & Reprobare*. If: 7,16. opponit, & reprobare ponit pro non eligere. *1. Sam. 16,7.9. Psal. 78.67.68.*

78. Non tamen eodem perpetuò sensu verbum reprobo ἀποδοκιμάζω & ἀποδοκιμάζομαι passivum in Canone accipitur, ut constat ex collatione locorum *Psal. 118, 22. Matth. 21, 42. Mar. 8, 31. c: 12,10. Lucæ 9,22. c: 17,25. c: 20,17. Heb. 12,17. 1. Pet. 2,4. c: 2, 7.* fereq; electionis vocis significationis varietate respondet.

79. Nec homines tantùm, sed & Deus reprobare dicitur, sive jam natos ut *Jer. 16,27. & seqq.* sive nondum natos, ut patet ex collatione locorum *Heb. 12,17. Gen. 25,27. Matth. 1,2. Rom. 9,11.* sequentibusq;.

80. Ipsa verò *æterna reprobatio est æternum DEI propositum de non præcognitis.* Matth. 7, 22. sive de potentia & ira Dei in illis εἰς ἀπείθειαν conclusis declaranda, qui vel nunquam, vel ad tempus tantùm, & non sincerè credituri, nec in Christo

Jesu permansuri, & suis tandem in peccatis morituri erant, *Rom.9,22. Joh.8,24.*

81. Talem reprobationẽ scriptura S. negativè *Deut: 7,27.c.25,13. Joa.10,26.c:17,9. Mat.13,11.* affirmativè verò *Rom: 9,13. 21. 22. Joan: 12,39. 40.* concipit & proponit.

82. Reprobi quoq; , sive reprobati, *hædi, maledicti.* Mat.25. *vasa iræ coagmẽtatæ ad interitum.* Rom. 9, 22. homines jam *olim ad judiciũ præscripti* Judæ: v.4. *ad iram cõstituti* 1. Thess.5, 9. *ad diem malũ facti* Prov 16,4. *indurati* Rom.9,18. appellãtur.

83. Quæ tamen, ut piè Aug: de præd: & gra: c:4. monet, non ita intelligenda sunt, quasi Deus in homine ipsam, quæ illi non inerat, duritiem cordis & similia mala culpæ operetur: sed quod justè meritoq; unicuiq; justus judex reddat, quicquid potest: prævaricationis culpam natus homo supplicii patitur, culpa ab homine se corrumpente, pœna à justo judice Deo promanente:

84. Nemo igitur à Deo reprobatus dici potest, nisi is, qui examini probationiq; divinæ subjectus, eam sustinere non potest, & se jure merito rejectum esse, per conscientiam inficiari nequit.

85. Excæcari præterea & indurari illi dicuntur, quibus amplior & quandoq; extraordinaria, in vasisq; gratiæ ad salutem efficacissima divinitus adhibita

hibita collustratio & emollitio, proprio ipsorum vitio, in majorem condemnationem cedit.

86. Quemadmodum enim cera liquescit, at limus durescit, uno eodemq; igni, ita & quivis post lapsum natura filius iræ dura petra existit, & ita cõparatus est, ut nisi in eo cor novũ creet DEUS, quò externè proximius & vehementius gratia DEI convenitur: eò se ipsum magis hoc beneficio indignum præstet, magisq; atq; magis detestandũ & iræ DEI gravioribusq; pœnis obnoxiũ reddat.

87. Nec secus ac cadaver, quò illud acrioribus radiis Sol contingit, eò magis fœtet, non purissimi luminis: sed suæ impuritatis corruptionisq; vitio: Sic & Judæi, Pharao, cæteriq; reprobi, clarissimis divinis eloquiis stupendisq; miraculis, quæ illos ad meliorem frugem accendere debebant, inexcusabiles durioresq; facti, videntes intelligentesque nec viderunt, nec intellexerunt, sed prorsus occalluerunt, peccato ipsorum manente & ira DEI graviore illos insequente.

88. Ex quo igitur Adam primùm peccavit, & totum humanum genus ipsius in lumbis mortuum, subq; condemnatione conclusum est, exinde jam, sufficientissima in nobis ipsis, justissimo judici caussa existit, omnes prorsus, nemine excepto, deserendi, reprobandi atq; damnandi.

89. Homo enim penitùs ex primo Adami lapſu morte æterna ſopitus obduratusq́; exiſtit, qui ſua ſponte ſe in vitam erigere, ex dominio peccati, ex imperio Satanæ ſe eximere, ſe emolire, ſcintillam aliquam fidei à ſe concipere, vel ſe vocatione illa, à quâ fides oritur, dignum præſtare, aut ad minimum vocatus externè, internè audire, vocationiq́; ſanctè reſpondere nequit.

90. Nō ſinguli tamen hi ita ex æquo omnes in peccato & ἀπειθείᾳ concluſi, atq; ita jam judicio Dei reprobari in æternum digniſſimi, ſed ſoli illi, qui non credunt in Filium Dei & in peccatis ſuis perſiſtunt moriunturq́; æterno Dei decreto reprobati appellandi: cæteri ſiquidem, qui non ſuo motu aut diſpoſitione aliqua ſibi inexiſtente, ſed gratia Dei credunt, & in pietate perſeverant, ad vitam æternam electi nominantur.

91. Quæ cum ita habeant, gravis controverſia exoritur de parium in reprobatione & condemnatione ſorte impari: undeq́; illud ſit, quod quidam credant, quidam verò non credant, alii bono motu, voluntate facultateq́; in fide & bono propoſito & pietate perſeverandi inſtructi ſint, alii his omnibus penitus deſtituti.

92 Quod electis devotiſſimè ſuſcipiendum, gratiſſimeq́; perpendendum: at redarguendi injuſtitiæ

Deum

Deum causâ quærere, licet sit in insaniam pro-phanæ vocis erumpere, ut ritè censet Aug: l. de præd: & gra: c: 3. cum nec in contractibus hominum debitor creditorem iniquitatis audeat redarguere, si alteri donans, illum in carcerem compingat, ab eoq; quod debet exigat:

93. Quia tamen quæstio hæc D. Apostoli Pauli temporibus mota Aug: cæterosq; veteres Orthodoxos Patres & majorum nostrorum memoria Lutherum quoq; & Symmystas ejus vehementer exercuit: & nunc etiam maximo fervore ne an furore dicam, controversia hæc agitatur augeturq; non debet à nobis sicco pede præteriri.

94. Ac primò quidem, sunt quidam, qui reprobationis reproborum caussam in solam meram voluntatem Dei rejiciunt, innixi illi Apostolico axiomati ἄρα οὖν θέλει ἐλεεῖ, καὶ ὃν θέλει σκληρύνει, quem vult indurat, *Rom.* 9, 18. quo referunt & antecedentia quædam & tum ejusdem cap: tum; 10. & 11. sequentia, ut & illa quæ extant *Matth:* 11, 25. 26. *c:* 20, 15.

95. Contra alii, *peccatum* caussam reprobationis esse, cum exemplis, tum testimoniis scripturarum evincunt: quæ habentur *Matth.* 25, 41. *& seqq. Rom: c:* 1, 17. *& seqq. ad fin: c:* 2. *toto. cap:* 9, 22. *Ezech:* 18, 4. *Ephes:* 5, 6. & locis pluribus aliis.

96. Alii denique cum Bellarm: lib: de grat: & lib: arbitr: l: 2. c: 16. contendunt caussam reprobationis impiorum, partim ad solam Dei voluntatem, partim ad peccata prævisa referendam esse.

97. Atque hic jam pars ad illas, quæ in speciem pugnare, suæque opinioni oppositæ esse videntur, scripturas conciliandas voluntatis divinæ in *antecedentem* & *consequentem* distinctionem usurpat: pars altera *decretum* Dei, à *decreti exequutione* dispescit, & vel jus divinum in *absolutum* & in lege *ordinatum* tribuit: vel voluntatem Dei in *absconditam* & *revelatam* partitur: quod & Luthero tritum in Diatribe & Comment: super Genesin.

98. Scholastici etiam & cum his Bellarm: contr: de amiss: grat: l. 2. c. 15. & de grat. & lib. arb. l. 2. c. 16. *duos* reprobationis *actus* faciunt, unum *positivum* puniendi reprobos propter peccata, alterum *negativum* non miserendi merè εὐδοκητόν.

99. De quibus distinctionibus plerisq;, quia alibi copiosius egimus, hic tantum ipsam reprobationem, desertionem & damnationem in absolutam & oppositam, seu *absolutè* & *comparatè* consideratam, dispescimus: duasque distinctas responsiones ad duas quæstiones, ne fallacia plurium interrogationum errorem pariat adhibendas,

das, operæ precium esse statuimus: quarum una simplex est, *Cur aliquem* DEUS *reprobet?* Altera duplicata: *Cur unum eligat, alterum reprobet?*

100. Cum ergo simpliciter & absolutè quæritur: Cur aliquem DEUS reprobet? Heic reprobationis caussa meritoria nulla alia quàm peccatum assignari potest.

101. DEUS enim licet ei majus in massam à se creatam integram jus sit, quàm figulo in lutum, ita ut ex illa materia ex quâ hominem creavit, quicquid liberet ei creare licuerit: hoc enim est absolutæ ipsius omnipotentiæ: quia tamen apud ipsum non est iniquitas *Rom.* 9, 14. *Prov.* 17, 15. neminem reprobat, nisi peccatorem: ac ne potest quidem dici DEUS salva justitia sua reprobare aliquem, nisi sit peccator. Atque ita nec decretum de homine reprobando, aut deserendo in æternitate fieri potuisse piè credimus, nisi intuitu peccati, sicq; propter peccatum.

102. In responsione igitur ad hanc quæstionem, *Cur quidam reprobentur*, εὐδοκίαν & jus DEI absolutum prætendere otiosum est, periculosumque, & ut cum scandalo conjunctum, ita temerariis judiciis obnoxium & desperabundis conscientiis parum proficuum.

103. Quos

103. Quos ſcopulos evadere, vix ac ne vix quidem hactenus potuerunt, ne diſtinctionibus quidem inter neceſſitatem infallibilitatis & coactionis & inter abſolutum à cauſſis ſecundis & à mediis ſubordinatis & ſimilibus adhibitis, illi qui ſcripſere docuereve, decreti reprobationis extra DEUM cauſſam eſſe nullam, nullam ejus voluntatem conditionatam eſſe; eſſe omne decretum DEI abſolutum & efficax & hoc ipſum attuliſſe Adamo labendi, poſterisq; ejus peccandi, Judæ Chriſtum prodendi neceſſitatem.

104. Tam enim parum eſt, damnationis & rejectionis alicujus hominis, cauſſa decretum: ut quamvis nullum Deus de hominibus eligendis reprobandisq; decretum feciſſet, ratione tamen juſtitiæ ejus futurum fuiſſet, ut omnes ab eo deſererentur ac damnarētur, qui in Adamo εἰς ἀπείθειαν concluſi peccata peccatis cumularunt, & in peccatis mortui ſunt.

105. Cum igitur de Gergezenis, non quidem omnibus, ſed ſaltem illis, qui omni procul dubio ſunt condemnati, quæritur, *Cur eos DEUS reprobavit? Cur illis Servator mundi Evangelium non annunciavit?* Reſpondetur: Quia ipſi indigni tanta gratia exoraverunt, ut ab ipſorum finibus diſcederet, *Matth: 8, 34.*

106. Quare

106. Quare Hierusalem deseruit reliquitq; ? Quia Hierusalem Prophetas, Sapientes, Scribas, justos ad se missos trucidavit, cruci affixit, flagellavit, persecuta est, & DEO pullos ejus suas sub alas congregare volente, ipsa noluit: *Matth. 23, 34.* Cur Judæi, ipsorumq; posteri hucusq; ex parte saltem rejecti præteriti, damnati ? Quia sermonem DEI repulerunt, se vitâ æternâ indignos judicarunt. *Act. 13, 46.* & quia se posteritatemq; suam, sangvinis Messiæ horribili anathemate damnarunt.

107. Sic Judas, fur, suiq; domini proditor desperatus fuit: alii doctrinæ cœlestis corruptelis, alii enormibus flagitiis sibi suisq; justissimas pœnas accersiverunt, alii Consilium DEI adversus semetipsos spreverunt: alii post degustatum bonum DEI verbum ac virtutes futuri seculi, prolapsi sunt, & ad vomitum redierunt, & rursus sibimetipsi Filium DEI crucifixerunt, ad ignominiam exposuerunt, conculcaverunt: sangvinem fœderis, per quem sanctificati sunt, prophanum duxerunt, & Spiritum gratiæ contumelia affecerunt.

108. Quinimô perpetuò jam certum est, non damnationis tantùm, sed reprobationis desertionisq; caussam peccatum esse eorum, qui primi DEUM deseruerunt, deseriq; & reprobari & damnari, meruerunt.

109. Cæterùm cum simul semelq; omnes, ne uno quidem exemto, post primogeneum Adami lapsum damnari meruerint, Regio id, præter cæteros divinos autores, vate *Psal. 13, 2. Psal. 14, 2. & seqq. Psal. 103, & 143, 3.* Jam alia quæstio exoritur, quâ opposité & comparatè quæritur: Cur nempè DEUS in pari sorte natis discrimen faciat.

 110. Nam

110. Nam hîc negari non potest, DEUM ab unâ parte pro summa sua justitia, Adamum cum universa ipsius posteritate, nemine excepto, simul & semel reprobationem meritos, potuisse fide non donare, atque ita in æterna, quam meriti fuerant morte relinquere: potuisse quoq; è contrario DEUM pro sua omnipotente misericordia eundem Adamum cum universa ipsius posteritate, nemine excepto, reprobationem meritos, in finem usq; perseverante fide donare, atq; ita in æternam, quam nullus meruerat, vel mereri poterat vitam erigere, reponereq́;.

111. Hoc verò, cur non fecerit, sed cur alios fide, quæ non est omnium, *2. Thess. 3, 2.* nec nisi DEO donante haberi potest, donet, alios non donet, atq; id quod in tempore facit, cur quoque ab æterno facere decreverit: Cur ita prorsus liberrimum, omnipotens, justissimum & summæ misericordiæ agens, & non aliter sanxerit, Nos vel non, quærendum esse censemus: vel si importunius quæratur, tum demum ad DEI θέλησιν; ad altam, sive profundam sapientiæ cognitionisq́; divinæ opulentiam confugiendum, ad penitus recondita ejus judicia, ad abstrusas rationes, sive vias impervestigabiles ejus appellandum & in Opt. Max. Patris cœli terræq́; Domini integerrima, injustitiæq́; purissima εὐδοκίᾳ sive placito finaliter conquiescendum esse, nec plus ultrà audendum sanctè asserimus, freti apertis scripturis, quæ extant *Matth. 11, 25. 26. cap. 20, 15.* & quæ sunt inserta *9. 10. & 11. ad Rom. Epist. capitibus.*

112. In quo nobis, ne alios nominemus ex Tubingensibus adstipulatur D. Heerbrandus loco, de Electione Cõpendii aucti Tubing. impressi ann. 1578. Cujus ad

quæ-

quæstionem, Cum verò fides peculiare DEI donum sit, cur hoc uni datur, alteri verò non? Sequentia hæc pro conclusione propria sunt. p. 482. 483. Edit. Lipsiens. ann. 79. p. 368. 369. *Ideo hic quid respondeamus, aliud non habemus, nisi quod aliter fieri non debeat. Quia nemini quicquam debet: sed quorum vult miseretur, Et non esse injustitiam apud eum. Et cũ Apostolo dicamus: O homo, tu quis es, qui ex adverso respondes DEO? Num dicit figmentũ fictori suo; cur me ad hunc finxisti modum? An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam? Et exclamemus cum eodem: O profunditatem divitiarum, sapientiæ & cognitionis DEI, quam inscrutabilia sunt judicia ejus & impervestigabiles viæ ejus! Nemini quicquam debet. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Item: *An non habeo potestatem de meo dandi & faciendi quod volo* (*Matth. 20.*

113. Præivit nobis & Heerbrando longè antè, post CHristum tamen, Prophetas & Apostolos eadem cum sententia Episcopus in toto orbe notissimus, verba sunt Hieronymi de Augustino Ep. 11. Præivit, inquam, cũ ejusdem confessionis insignibus nobis Doctor clarissimus in Orthodoxa antiquitate ille, quẽ Celestinus Papa, & ex eodem Rob: Bell. ita dilaudant, ut dicant, *eum semper habitum à Romana Ecclesia pro Ma-*

gistro optimo, & nunquam eum fuisse saltem rumore sinistræ opinionis aspersum Bell. contr. T. 4. de grat. & lib. arb. l. 2. c. 11. p. 804.

114. Ex quo, si liberet, opusq; esset, liceret, ejusdem planè moneta plurima exhibere: sed unicum in præsentiarum sufficiat, quod lib. de Prædest. & grat. c. 11. sic habet: *Reditur ad parvulos, reditur ad geminos. Parum dixi, reditur ad nec dum natos, qui & eodem concubitu seminati, & eodem momento in lucem fuerant proferendi. Eis discrepans diversumq́; judicium divinæ voluntatis apparens, sensus hominum de voluntate DEI superbè nimiū disputantes magnitudo quæstionis obturbat.*

115. *Exalta jam vocem tuam ô injustè accusator justi, & dic mihi, quid ille commisit, quid boni ille meruit? Et respondet tibi, non ego; sed Paulus nihil quidem ambo meruerunt:* (si nempe primævam ab Adamo contractam labem excipias) *sed habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam.*

116. *Dicturus es quare? Quæ est Judicii tam confusa diversitas? Rursus hanc præsumtionem ille confutet & dicat. O homo, tu quis es, qui respondeas DEO? maximè quia ad illam humanorum actuum comparationem rursus intentio conversa respondet. Injustitiæ non posse argui creditorem,*

qui

qui duobus debitoribus tale voluerit habere judicium, ut uni donet, ab alio exigat: quod ab utrisque debetur.

117. *Et certè in omnibus humanæ conversationis actibus, atque contractibus ad discernendum aliquid, ad dijudicandum hanc, quâ videmur aliquam probare justitiam, ex ineffabili divinæ justitiæ plenitudine, in humilitatis nostræ corda manare manifestum est, B. Joan: hoc in suo Evangelio confirmante. Quoniam omnes de plenitudine ejus accepimus.*

118. *Quod si ita est, quâ tandem impudentia homo de DEO, lutum de figulo judicabit, nō solùm dicens: Quid me fecisti sic? sed etiam de aliis damnabili curiositate perscrutans & dicens: Quare de eadem massa fecisti, alium quidem sic, aliū verò sic.*

119. *Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis creator omnipotens, in æternum non nullos damnare vellet intentens, in æternum non nullos damnare vellet interitum, quis omnipotenti creatori diceret, Quare fecisti sic? Qui enim cum non essent, esse donaverat, quo sine essent, habuit potestatem, nec diceret cæteri, cur paribus omnium meritis divinū discrepat arbitrium. Quia potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliā.* Nunc

120. *Nunc autem cum damnatis pœna justa reddatur, salvatis autem gratia donetur indebita; quis usq; adeò humanæ conditionis oblitus Divini sensus arcana discutiat, ut cùm ipse pœnam meritò fuerit consecutus, quærat, cur alius gratiam, quæ non debebatur ei, acceperit.*

121. *Hanc itaq; divinam Electionem, non meritis reddi; sed solâ voluntatis munificentia donari hominibus Moyses, quum jam tunc quamvis carnalem populum doceret, ostendit. Sic enim evidenter in Deuteronomio dicit populum: Ecce Domini DEI tui cœlum est, & cœlum cœli, terra & omnia quæ sunt in ea: verumtamen Patres nostros elegit Dominus diligere eos, & elegit semen eorū post ipsos, vos præ cæteris gentibus. &c.*

122. Atq; ex his jam omnibus apparet: I. Reprobationis in æterno DEI decreto ex præscripto immutabilis ejus justitiæ, cùm primum, tùm cætera omnia peccata, & præcipuè finalē incredulitatem *antecedens causam*q; esse, eandemq; ὁλικὴν futuram fuisse; si cum omnibus DEUS in jus venire voluisset.

123. II. Quod quidam fide per charitatem operante, & ad extremum perseverante præditi electiq; sunt, ineffabili in solidum misericordiæ æternoq; divino beneplacito, devotissimè acceptum ferendum.

124 III. Quod deniq; reliqui fide interius non donentur, vel insuper, præconio etiam Evangelii exterius prorsus, sive ad brevius tempus, *Act. 16, 6. 7.* sive ad aliquot secula, *Act. 17, 30.* atq; ita prorsus prætereantur;

hoc

hoc orbis totius moderatoris judicio justissimo, severissimoq; deferendum. Et utrumq; posterius voluntati nemini prorsus obnoxii liberrimè agentis & decernentis Domini cum timore & tremore inscribendum esse.

125. Quamvis, ne hîc quidem mera & simplex DEI voluntas, imperiosè urgenda, *cùm* Deus *si ferat auxilium misericors, si nō ferat, justus esse credi debeat.* August. in quæst. Vet. T. 37. cap. Sed præstat cum eodem venerabili Patre religiosè fateri. *Ejusce etiam discriminis occultam quidem caußam esse, injustam verò esse non posse.*

126. *Tanta quippe* (Antonini Aurelii Imperatoris verba sunt) *est intelligentiæ humanæ parvitas, ut infinitis partibus plura sint quæ nescit, quàm quæ novit: nihilq; omnium est quæ* Deus *facit, cujus licet nobis ignota caußa sit, rationem tamen æternæ ipsius nesciat sapientia.* Horol. Princ. l. 1. c. 25.

127. Cum igitur, Religione nobis hic & conscientia nostra præscribente, injustum esse non potuerit, id etiā, quod de operibus suis nos latere voluit Altissimus, *ut occulta ipsius non scrutanda, sic quæ manifesta fecit non neganda: ne in illis illicitè curiosi, in his verò damnabiliter inveniamur ingrati,* Ambrosio sive Prospero l. 1. de Gent. vocat. hoc ipsum inculcante. Quos ut sic temperarent linguam & mentem, docuit Ijobus c. 11. v. 6. *Mysteria* (inquit) *occultæ sapientiæ* Dei *duplo majora sunt iis, quæ existunt.* ut habet versio Tremell. Et Moyses Deut. 29. v. 29.

Quæ

Quæ occulta sunt, penes Iehovam DEUM *nostrum sunto: at quæ revelata, nobis & filiis nostris usq; in seculum revelata sunt.*

128. Atq; hunc ad modum tractata Prædestinatio, DEUM ut par est extollit, ejus justitiam, potentiam, jus, fas, rationesve asserit, hominem suo maximo periculo tumidum, lege naturæ, & perfectiore Scripturæ, peccatum indicante, iram operante deprimit, agnitione peccati prostratum miserum peccatorem in spem gratiæ gloriæq; indebitæ certissimis Evangelii promissionibus DEI sublevat, curiosas, perniciosas & furiosas quæstiones non movet; simplicium verò sensus & intellectum in via veritatis pro virili promovet.

129. Hunc ad modum tractata Prædestinatio, omnes Stoicorum, Prædestinatorum, Pelagianorum, SemiPelagianorum Epicuræorumq; Syrtes, Charybdes, Scyllas, cum bono DEO, citra ullum salutis discrimen, veritatisq; jacturam prætervehitur & evadit, JESUMq; CHRISTUM unicum vitæ æternæ portum tutò & quietissimê respicit, tenet & obtinet.

130. Ad hunc modum Prædestinatio non tantùm in Scholis & Academiis inter doctos; sed etiam apud universum populum Christianum suo loco & tempore ad DEI gloriam & fidelium ædificationem proponi potest, & in timore DEI prudenter & sobriè explicari debet: quod hactenus à nobis etiam cum bono DEO factum est.